



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Libri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10447**

tali, pro alendis, vel cibandis, vel curandis pauperibus, vel factum presbyteris, pro officienda aliqua Ecclesia, an deficientibus pauperibus, vel diruto hospitali, vel Ecclesia, desinat legatum, vide in casu succedente, Gem. in c. licet ea non, ver. & pro hac deciditur, de elect. lib. 6. ubi disputat, an habitu, an actu, vel nihil, & sic in parochiali.

## LEGATI APOSTOLICI.

**P**rimo, Legati Apostolici sunt in triplici differentia, nati, destinati, & legati à latere, & concurrunt in collatione beneficiorum cum ordinariis, & datur locus præventioni, quando sunt à latere, & habent generalem facultatem, Franc. in ca. 1. col. si. de off. leg. lib. 6. Caputq. dec. 387. 1. par. & multa alia de potestate legati, vide Seluam 4. par. 9. tract. de benef.

Secundò, de potestate legati à latere super totam provinciam, etiam super exemptos, & si potest adiri per viam querelæ, vide Gem. in c. si abbatem, §. huiusmodi, de elect. lib. 6.

Tertiò, & quæ differentia sit inter tres istas species legatorum, vide text. glos. Doct. & Gemin. in ca. 1. ver. sed an legatus, de offic. leg. lib. 6. ubi habes bona pro practica occurrenti.

## LIBRI.

**L**ibros hæreticorum nemo potest tenere absque licentia Papæ, Nav. conf. 1. n. 75. de constit. neque quis potest eos tenere, etiam ut errores eorum noscat, & ut populum doceat, quia est excommunicatus; secus si inveniren-

tur in studio alicujus viri docti, sinceri, & pii, quia tunc non censetur eos tenuisse ex mala mente, & sic licet in foro exteriori daretur ansa interrogandi, cur eos tenuerit, tamen non potest capi suspensio de hæresi, Nav. conf. 6. de hæret.

## LITERÆ APOSTOLICÆ.

**L**iterarum Apostolicarum executionem impediens, sunt excommunicati, prout in Bulla Cœna Domini, ut pater in processu literarum ejusdem, hoc tamen intelligitur primò, quando impediuntur de facto, & non de jure, prout dictum est superius, in ver. contradictores, secundò, quando prohiberetur, ne intimentur: tertiò, vel ne eis fides habeatur, vel ne publicentur, unde qui stat in possessione alicujus beneficii, nolens relinquere illam ad præsentationem literarum Apostolicarum, ut quia putat juridicè possidere, non incurrit excommunicatione Bullæ Cœna Domini: similiter qui ab eis appellat, vel reclamat, unde si etiam in literis dicitur contradictores, &c. Gl. in c. pro illorū, in ver. contradictores, de prob. Staph. fol. 180. n. 7. & 197. n. 1. Nav. conf. 36; Rebuff. in for. nov. promis. in clau. contradictores: similiter literæ Apostolicæ veræ, si sunt saltem coloratæ, quia regulati modo fuerunt impetratæ, licet non sint penitus validæ, ut quia subreptitiè, vel obreptitiè impetratæ, tamen si opponatur eis de facto, inciditur in excommunicationem Bullæ Cœna Domini, Navar. conf. 40. de sent. excom. hoc fallit, nisi opponatur justum impedi-